

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Gebri Arabis Chimia**

**Geber**

**Lugduni Batavorum, 1668**

De Marte sive Ferro. Cap. XXXVII

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)

tiam auri præterdit. Malleatur vero & igitur ut argentum & aurum. Quare secretum ex ea assumas : Est enim medium Solis & Lunæ, & facile ad utrumque convertere naturam illius accidit : & est bonæ conversionis & pauci laboris. Convenit cum Tutia vehementer, quæ illam citrinat citrinitate bona, ( & hoc per magisterium, sine quo non perficitur ) ut ex hoc proficuum elicias. Excusamur itaque per eam à laboribus indurationis & ignitionis illius. Assumas igitur eam, præ cæteris imperfectis in opere minori & medio : in majori vero minime. Hoc tamen præ Jove vitium habet, quoniam livescit de facili, ex infectione vaporum & humoribus acutis, & eradicare illud non est facile artificium, imo profundum.

*De Marte sive Ferro.*

C A P. XXXVII.

**M**ars sive ferrum est corpus metallicum multum lividum, parum vero rubeum, albedine impura participans, durum, ignibile, non fusibile fusione recta, malleabile & multum sonans. Est autem Mars durissimæ tractationis, & hoc propter suæ fusionis impotentiam. Quod si sine medicina, ejus naturam immutante fundatur, conjungetur Soli vel Lunæ, & ab eis non faciliter separatu per aliquod

examen, sine magna industria. Si autem præparatur & conjungitur, non separatur per aliquod artificium, si saltem ejus natura & fixio non immutetur ab eo, sed sola illius removeatur immundities. Est ergo tinctura rubedinis de facili: albedinis vero bonæ difficilime. Et cum conjungitur Soli vel Lunæ non alteratus non immutat colorem commixti, sed potius augens illud in quantitate.

*De differentia metallorum imperfectorum ratione perfectionis.*

CAP. XXXVIII.

**I**Nter omnia igitur corpora imperfecta, stannum splendidius & lucidius & majoris perfectionis existit. Et in solarem & lunarem uberius transmutatur essentiam. In ipso tamen est opus facilis tractationis & longi laboris, propter suæ liquefactionis velocitatem. Post ipsum vero Venus magis perfectæ mutationis eligitur, difficilis tractationis, brevioris vero à Jove laboris. Saturnus vero post Venerem perfectionem in transmutatione ab illa diminutam habet: facilis namque tractationis, longissimi vero laboris existit. Mars vero inter cætera imperfecta minimæ perfectionis in transmutatione reperitur, tractationis omnium difficillimæ & laboris longis-